



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Arremarensis Abbatia, vulgò Monstierameij, in D. Trecensi, in Gallia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

S. Matris Ecclesie, & pro incolumitate dominorum Regum imperantium, presentium, & futurorum. Actum in Megnigaudenhausen super fluuio Leymbach. Dat a mense Martio, anno 816. regnante Ludouico.

Hirsaugiense monasterium, in Germania.

Huius monasterij fundatio facta est anno 830. per Erlafridum Comitem & filium eius Nottingum. Consecratio autem facta est in honorem S. Petri & S. Aurelij Episcopi anno 838. per Otgarium Archiepiscopum Moguntinum presentibus Hildiboldo Archiepiscopo Coloniensi, Rabano Mauro Abbate Fuldensi, Hildeuino Abbate S. Dionysij, alijsque plurimis cum sacri tum politici ordinis proceribus. De eo plura qui uolet Hirsaugiensis monasterij Chronica per Ioannem Trithemium edita consulat.

CAPVT XLV.

Arremarensis Abbatia, vulgò Monstierameij, in D. Trecensi, in Gallia.

Coenobium Arremarense siue Adremarense Ordinis S. benedicti, quatuor dumtaxat leucis à Tricassina ciuitate subductum est, quod etiam Deruansense nuncupatur; eo quòd in Deruansi silua prima eius fuerint fundamenta collocata, auctorem

fundatoremque habuit quemdam cui nomen erat Arremarus, cuius hodieque tamquam primi parentis nuncupationem retinet, ut secernatur à Deruensi monasterio, quod quidem aliquot ante annis exædificatum fuerat in eadem silua, quæ per id tempus longè lateque diffusa, maxima terrarum spatia occupabat. Illa autè institutio in vetustissimo dicti monasterij codice continetur, his paucis cõcepta verbis. *An. ab Incarnatione Domini 837. indict. II. fundatum est cœnobium in silua quæ vocatur Deruus, in loco qui dicitur Mansus Corbonis, postea noua cella in pago Tricassina à presbytero quodam Adremaro, existente tunc Tricassina Antistite Adalberto, Comite Aledrano.*

837.

Cùm verò post paucos annos cœnobij structura perfecta & absoluta esset, memoratus Arremarus ad summum Pontificem perrexit, ab eo suppliciter & obnixè efflagitaturus, ut domicilium illud ad perpetuum Dei honorem cultumque, in religiosam monachorum sedem dedicandum consecrandumque mandaret: qui ipsius pietate concitatus, rescripto suo (ut iam alibi dicere memini) Prudentium Tricassinum Antistitem hortatus est, ut cùm à dicto Adremaro rogaretur, consecrationem inangurationemque dicti cœnobij obiret, quod quidem rescriptum illustrissimus Cardinalis Baronius in annales suos insuit, nos illud inde erutum eius fide proponemus his verbis:

Leo

Leo Episcopus seruus seruorum Dei, reuerendissimo & sanctissimo Prudentio Tricassinae Episcopo salutem.

Cognoscat prudentia sanctitatis tuae qualiter hic religiosus Adremarus monachus cum monachis suis cum summa deuotione ad laudem & gloriam S. Trinitatis & remedium animae suae, suorumque omnium, in honorem B. Petri Apostolorum Principis, seu & S. Leonis eiusdem vicarij papae monasterium desiderat consecrare, & situm ac structuram eius S. coenobij in rebus iuris dicti B. Petri Apostoli, quae eius verè sunt, fundare ac construere. Quae res praedictae Guidani generosissimo Comiti per praecipuum pontificale donatae sunt. Quam ob causam iubemus ac hortamur sanctitatem tuam, vt quando ab illius monasterij praedictis monachis fueris cum humilitate postulatus, illuc accedere debeas, & locum quem vobis significauerit, ipsas illic reliquias supranominatorum sanctorum, quas à nobis accepit, eo tenore & conditione recondas atque consecres, vt semper ac perpetualiter sub iure ac potestate S. nostrae Romanae Ecclesiae iam fatum monasterium consistat atque permaneat. Sanctitatem tuam omnipotens Deus incolumem custodiat. Frater, bene vale. Ita Nic.

Camuzatius libro de Antiquitatibus Trecensibus.

(:·:)